

Locula, seu modicis humescit latius. Ergo
Sermo oritur, non de villis, domibusve alienis,
Nec male necne Lepos saltet: sed quod magis ad nos
Pertinet, & nescire malum est, agitur: Utrumne
Divitiis homines, an sint virtute beati:

Quidve ad micitias, usus, rectumve: trahat nos
Et qua sit natura boni, summumque quid ejus.
Cervinus hac inter vicinus garrat aniles
Ex re fabellas. Nam si quis laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit: Olim
Rusticus urbanum murem mus paupere fertur
Accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum;
Asper, & attentus quasitis, ut tamen orctum
Solveret hospitii animum. Quid multa: neq; illi
Sepositi ciceris, nec longa invidit avena:
Aridum & ore ferens acinum, semesaque lardi
Frustra dedit, cupiens varia fastidia cana
Vincere, tangentis male singula dente superbo:
Cum pater ipse domus, palea porrectus in horna

Humescit. Irrigatur, ma-
descit. pitem benigne accipiendum.

Lepos. Saltator ea tempesta-
te celebris

Usus. Utilitas.

Rectum. Virtus, officium.

Summumque, &c. Quae sit
boni summa, summum bo-
num.

Ex re. Pro re nata: in loco.

Arelli. Avari cujusdam.

Asper. Erat ille quidem
mus rusticus minime delica-
tus, imò avarus, & attentè
custodiens quasitas res: na se
tamen gessit, ut animum par-
cum, & avarum laxaret, ad hos-

Sepositi. Servati in aliquo
reconditori cavo.

Ciceris. Græca locutio: pio,
non illi invidit cicer, & ave-
nam; illi hæc largè, ac libera-
liter apposuit.

Acinum. Granum racemi.

Cupiens. Cupiens ferculorū
varietate vincere nauseam mu-
ris urbani, qui ea leviter gu-
stabat primoribus dentibus, &
cōtemptim. Quum ipse iste-
rim rusticus mus, herus, & pa-
ter familias, stratus in palea
eodem anno collecta, & recen-
ti, esset, id est, comederet,

non

Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem urbanus ad hunc: Quid te juvat, inquit, amice,
Prærupti nemoris patientem vivere dorso?

Vis tu homines, urbemque feris præponere sylvis?
Carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
Mortales animas vivunt sortita, neque ulla est,
Aut magno, aut parvo lethi fuga. Quo bone circa,
Dum licet, in rebus jucundis vive beatus.

Vive memor, quàm sis ævi brevis. Hac ubi dicta
Agrestem populère: domo levis exiit. Inde

Ambo propositum peragunt iter, urbis aventes.

Mania nocturni subreperere: jamque tenebat

Nox medium cali spatium, cum ponit uterque

In locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco

Tincta super lectos canderet vestis eburnos,

Multaque de magna superessent fercula cana,

Que procul exstructis: incrant hesternæ canistris.

Ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit

Agrestem; veluti succinctus curstat hospes,

non laridum, non cicer, sed
ador, id est, triticum, & lolium,

id est, avenam deteriore, re-

linquens dapes meliores hospi-

ti suo epulandas.

Esset ador. Comederet fru-
menti grana, &c.

Dorso. Clivo, cavo.

Feris. Agrestibus.

Quando, &c. Quandoqui-
dem animalia terrestria morti

sunt obnoxia, nec eam sum-
mis, infimisque licet effugere.

Quo, bone, circa. Quocirca,
quare, ò bone, ò mi hospes.

Hac ubi, &c. Postquam hæc
oratio, hæc voces populère, id

est, expugnaverit agrestem mu-

rem. Cocco. Purpurâ, ostro.

Canderet. Nitèret.

Vestis. Stragula, qua lecti

sternuntur.

Exstructis. In altum conge-
stis, ordine dispositis. Canitra

sunt corbes, in quibus panes, &
fercula ponuntur.

Porrectum. Stratum toto cor-
pore.

Veluti succinctus. Instar ser-
vi ad ministrandum expeditus,
& accinctus.

Hospes. Mus urbanus. Hos-
pes dicitur tum de eo, qui ali-

Es;

quem

Continuatque dapes, necnon vernaliter ipsis
 Jungitur officii, pralambens omne, quod offert.
 Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
 Rebus agit latum conuivam: cum subito ingens
 Valvarum strepitus lectis excussit utrumque,
 Currere per totum pavidi conclave, magisque
 Exanimis trepidare: simul domus atra molossis
 Personuit canibus. Tum rusticus: Haud mihi vitâ
 Est opus hac, ait; & valeas: Me Sylva, cavusque
 Tutus ab insidiis tenui solabitur erro.

quem accipit, tum de eo, qui
 accipitur.

Continuat. Facit, ut alia a
 illis succedant.

Vernaliter. Ut vernæ solent.

Pralambens. Prægutans.

Bonisque, &c. Et fortuna fe-
 licitatis fruens, præbet se hilarem.

Lectis. In quibus ad mensam

accumbebant, coegit exilire.

Currere, trepidare. Subaudi
 cœperunt.

Simul. Statim atque.

Molossis. Canibus natis in

Molossia, Epiri parte.

Valeas. Absentis, & repu-
 diantis aliquid ea vox est.

Erro. Genus est leguminis,

S A T Y R A VII.

Inducitur Horatii servus, ipsum; post acceptam dis-
 cendi facultatem, graphice, ac facete oburgans.

Jamdudum ausculto, & cupiens tibi dicere servus
 pauca, reformido. Davusne ista, Davus, amicum
 accipium domino, & frugi, quod sit satis: hoc est;
Ausculto. Jampridem te au-
 sculto, & here (nempe Horatius
 fingitur servum vel castigare
 verbis, vel docere.)

Reformido. Impedior metu,
 & reverentia, ne te vicissim al-
 loquar, ne malam in partem
 accipias quæ sum dicturus.

Davusne ista, Davus, amicum

accipium domino, & frugi, quod sit satis: hoc est;

Davusne. Tu ne loqueris, &

Dave: Ego ipse tuus servus ti-
 bi amicus, & gratus, fidelis, &

frugi, quod satis est, ut me vir-
 talem, id est, vitâ dignum, &

servandum tibi, putes. Vel, qui
 tantum habeo probitatis, quan-
 tum est satis ad hoc, ut san-
 ctus

per-

Ut vitale putes. Age, libertate Decembri
 (Quando ita majores voluerunt) utere, narra.
 Pars hominum vitiiis gaudet constanter, & urges
 Propositum: pars multa natat, modo recta capeffens
 Interdum prævis obnoxia. Sape notatus
 Cum tribus annellis, modo laeva Priscus inani
 Vixit inaequalis, clavum ut mutaret in horas;
 Edibus ex magnis subito se conderet, unde
 Mandior exiret vix libertinus honestus
 Jam machus Roma, jam mallet doctus Athenis
 Vivere, Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis.

perstes diu, neque immatura
 morte tibi præripiat: viros
 enim insigniter probos vitales
 esse, seu diu superstites, non
 credebant: itaque se non nimis
 probum esse significat, sed in-
 tra modum.

Decembri. Hoc mense age-
 bantur Saturnalia: tunc servus
 licebat loqui, & vivere libe-
 rius, & quoddam quasi impe-
 rium in Dominos exercebant.

Narra. Loquere.

Vitiiis, &c. Constat est in
 scelere.

Natat. Huc illuc fluctuat,
 nunc vitio, nunc virtute gau-
 dens.

Notatus. Visus, deprehen-
 sus est.

Tribus. Annulos plures ge-
 stasse luxui, & arrogantia da-
 tum.

Inani. Sine annulis.

Inaequalis. Inconstans,

Clavum. Vestis erat Sena-
 torum, & magistratum quo-
 rumdam propria. Vide Sat. 6.
 lib. 2. Equester ordo à plebe
 per annulos distinguebatur: Sen-
 natorius ab Equestri per tuni-
 cam, seu clavum, quem Sena-
 tores latum, equites angustum
 gerebant. Mutabat autem cla-
 vum Priscus, ut alias subinde
 vestes indneret, v.g. lacernam,
 penulam, &c.

Unde. In exiguam casam ex-
 qua, &c.

Machus. Adulter.

Vertumnis, &c. Id est, homo
 inconstantissimus. Vertumnus
 Deus erat mutandis, vertendis
 que rebus præpositus, & com-
 mercii præses: unus erat ille
 quidem, sed qui ob varias for-
 mas, quibus pingebatur, multi-
 plex dici posset: iniquus autem
 dicitur fuisse Vertumnus Pri-
 sco, qui prævis incostantiâ labo-
 raret.

Scurra Volanerijs, postquam illi iusta chiragra
 Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
 Mitteret in pyrgum talos, mercede diurna
 Conductum parvit. *Quanto constantior idem
 In vitis, tanto levius miser: ac prior ille,
 Qui jam contento, jam laxo fune laborat.
 Non dices hodie, quorsum hac tam putida tendant,
 Furcifer? ad te, inquam. Quo pacto pessime? laudas
 Fortunam, & mores antiqua plebis: & idem,
 Si quis ad illa Deus subito te agat, usque recusesz.
 Aut quia non sentis, quod clamas, rectius esse:
 Aut quia non firmus rectum defendis, & haeres,
 Nequicquam cano cupiens evellere plantam.
 Romae us optas: absentem rusticus urbem
 Tollis ad astra levis. Si nusquam es forte vocatus
 Ad cenam, laudas securum olus, ac, velut usquam
 Vincit eas, ira te felicem dicis, amasque
 Quod nusquam tibi sit potandum: jussit ad se
 Justa. Quam ob nagitia oburgas?
 promeruerat, qua iuste multa-
 batur,
 Tolleret. Ex alveo lusorio.
 Pyrgum. Fritillum, turricu-
 lam. Legunt aliqui, Phymum,
 que vox idē sonat, ac pyrgus.
 Mercede, &c. Certo pretio
 in dies persoluto conduxit ali-
 quem, & nutrit.
 Tantò, &c. Tantò minus
 miser quàm ille prior, nempe
 Priscus, qui vitis modò laxa-
 bat ingentes habenas, modò
 contrahabat.
 Non dices. Verba Horatii.
 O Dave, quid tibi vis? quò per-
 tineat ista insectatio? quem istis*

Mecenas serum sub lumina prima venire
 Convivam; Nemon oleum feret ocyus? ecquis
 Audit? cum magno blateras clamore, fugisque
 Milvius, & scurra tibi non referenda precati
 Discedunt. Etenim fateor, me dixerit ille
 Duci ventre levem: nasum nidore supinor,
 Imbecillus, iners, si quid vis, adde, popino.
 Tu, cum sis quod ego, & forsassis nequior, ultra
 Insectère, velut melior? verbisque decoris
 Obvolvas vitium? quid, si me stultior ipso
 Quingentis empto drachmis deprehenderit: aufer
 Me vultu terrene: manum, stomachumque teneto,
 Dum, que Crispini docuit me janitor, edo
 Non sum machus, ais. Neque ego hercule fur, ubi vasa
 Praterco sapiens, argentea. Tolle periculum,
 Sub lumina prima. Paulò
 ante vesperam, cum altra pri-
 mùm lucere occipiunt: & faces
 domi accenduntur.
 Oleum. Unguentum ex o-
 leo odorato confectum, eo de-
 libatù cœnabant.
 Ecquis. Servorum.
 Blateras. Clamitas.
 Fugis. Domo te proripis.
 Milvius. Aliquis parasitus
 apud Horatium cum scurris
 cœnaturus.
 Discedunt. Te domi non
 cœnante, tristes, & imprecati
 multa mala, que tibi narrare
 dispuer, exeunt.
 Ille. Vnus aliquis, quili-
 bet.
 Duci. Me duci, & capi lau-
 tis ferculis.

Supinor. Attollo nasum, id
 est, nasalium subriigo ad nidorem,
 seu fumum, & odorem opso-
 niorum.

Si quid vis. Si quid prætere-
 velis in me dicere, si aliud aut
 quid vis objicere.

Popino. Qui popinis gaudet,
 ganeo, helluo.

Tu insectère. Quorsum me
 insectaberis: quo jure?

Drachmis. Drachma, mo-
 netæ genus Græcis usitata, res-
 pondet assibus paulò amplius
 septem, sive uni Julio Roma-
 no.

Aufer. Parce, abstine.

Praterco. Non surripio.

Sapiens. Cautus.
 Periculum. Pœnæ periculum,
 metum supplicii.

Jam vaga profiliet franis natura remotis.
Tunc mihi dominus, rerum imperiis, hominumque
Tot, tantisque minor, quem ter vindicta, quaterque
Imposita haud unquam misera formidine prebet?
Adde supra dictis, quod non levius valeat. Nam
Sive vicarius est, qui servo pareat, uti mos
Vester ait, seu conservus: tibi quid sum ego? nempe
Tu mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.
Quisnam igitur liber? sapiens, sibi que imperiosus:
Quem neque pauperies, neque mors, neq; vincula terrent
Responsare cupidinibus, contemnere honores
Fortis, & in seipso totus teres, atque rotundus:
Externi ne quid valent per laxe morari.

Vaga. Fræni indocilis: furor, indoli obsequar.

Minor. Me deterior, & inferior, quia tot res tibi, hominesque imperant.

Vindicta. Qui numquam eris liber à metu, & perturbatione, quam tibi tuæ libidines incutiunt, etsi ter, quaterque tangaris vindictâ. Erat illa virgula seu festuca, qua licitor servi libertatè coram Pratore donandi, caput feriebat. Vide Persum nostrum.

Quod non. Vnum nihilò ceteris levius, ad tuam servitutem demonstrandam.

Vicarius. Est servi servus: alteri servo obedire jussus.

Uti, &c. Ut loqui soleris, eum, qui à nobis conservus appellatur, vicarium honestio-

ri vocabulo nuncupantes. *Quid sum?* Nempe conservus tuus sum, tu tantum vicarius es, & paulò honestior servus.

Servis. Obedis, pares.

Ut nervis. Ut statua quædam, & opera lignea, quæ nervis, id est, funiculis intus latetibus ita moventur, ut sua moveri sponte videantur.

Responsare. Resistere.

Fortis contemnere. Qui satis habet fortitudinis ad contemnendos honores.

Totus teres. Instar globi, ex omni parte in sese collectus, & politus, nulla ex parte veluti prominens, quæ eum tenere, & morari vis externa fortunæ possit, nihil ut sit in laxi superficie, ac polita, ubi adhæresce-

In quem manca ruit semper fortuna. Potesne
Ex his, ut proprium quid noscere? quinque talenta
Possit te mulier, vexat, foribusque repulsum
Perfundit gelidâ. Rursus vocat. Eripe turpi
Colla jugo. Liber, liber sum, dic age, Non quis:
Urget enim dominus mentem non lenis, & acres
Subjectat lasso stimulos, versatque negantem.
Fel cum Pausiacâ torpes insane tabellâ,
Qui peccas minus, atque ego, cum Fulvi. Rutubaque;
Aut Placidejani convento poplite miror
Prælia rubricâ picta, aut carbone: velut si
Revera pugnent, feriant, vitentque moventes
Arma viri. Nequam, & cessator Davus: at ipse
Subtilis veterum judex, & callidus audis.
Nil ego, si ducor libo fumante. Tibi ingens
Virtus, atque animus cænis responsat opimis.

re illa, & ungues figere valeat, cumque currentem retardare.

Manca. Debilis, incermis.

Quinque talenta. Talentum Ægyptium libris Turonensibus 2688. respondet; Atticum, 2400. hoc, sexcentis scutis Romanis: illud, sexcentis septuaginta duobus.

Non quis. Non potes.

Dominus. Amor improbus.

Negantem. Nolentem servire, & sequi.

Pausiacâ. Pausias, pictor nobilis Græcus, Apellis æqualis.

Torpes. Stupes admirans.

Fulvi, Rutuba, Placidejani. Trium gladiatorum.

Convento poplite. Extento.

Gestus est gladiatorum, qui cum certant, alterum pedem projiciunt, extenduntque, alterum retrahunt, & inlectunt. Tunc audio, id est, dicor servus nequam, & cessator, id est, piger, qui tempus in iis spectandis teram: tu vocaris subtilis veterum operum, artificumque judex.

Nil ego. Nihil sum, nihili sum, nullius pretii.

Ducor. Trahor, capior.

Responsat. Tu contemnere potes cænas lautas, atque adeo es quantivis pretii. Ironia: nam significat, Horatium duci quoque opiparis cænis.

Obsequium ventris mihi perniciosius est. Cur?
 Tergo plector enim: qui tu impunitior, illa,
 Qua parvo sumi nequeunt, cum opsonia captas?
 Nempe inamare sunt epula sine fine petita,
 Illisque pedes vitio sum ferre recusant
 Corpus. An hic peccat, sub noctem qui puer uvam
 Furciva mutat strigili? qui pradia vendit.
 Nil seruire gula parens habet? adde, quod idem
 Non horam tecum esse potes: non otia rectè
 Ponere, teque ipsum vitas fugitivus, & erro
 Jam vino quarens, jam somno fallere curam
 Frustra. Nam comes atra premit, sequiturque fugacem.
 Unde mihi lapidem? Quorsum est opus? unde sagittas?
 Aut insanit homo, aut versus facit. Ocyus hinc te

Obsequium, &c. Cum indul-
 geo gula, damnum fero, nam
 plector loris: at tu an cares
 poenâ magis quam ego, cum
 lauta, & cara captas fercula?
 nequaquam; plectoris enim
 nausæ, cum in stomacho epu-
 læ sine modo appetitæ fiunt
 acidæ, indigestæ, amaræ, & pe-
 des illusi, id est, dubii, ac va-
 cillantés, ægrum corpus, ac
 debile ferre nequeunt.

Puer. Servus.

Sub noctem. Ne furtû agnos-
 eatur.

Mutat. Qui strigilem furto
 ablatam donat pro uva. Est
 strigilis instrumentum, e ferro,
 ebore, argento, quo sudorem e
 corpore detergebant, cum bal-
 neis utebantur; item quo di-

stringuntur equi.

Nil, &c. Ordo est. Qui ven-
 dit pradia parens, id est, ob-
 sequens gulæ, ut pretium e
 pradiis redactum epulis det,
 nihil habet seruire, nonne fa-
 cit seruiliter?

Tecum esse. Tibi constare,
 vel solus esse.

Ponere rectè. Vtilibus occu-
 pationibus, & honestis impen-
 dere.

Erro. Planus, errabundus.

Fallere. Lenire.

Comes. Illa ipsa cura, quam
 fugis.

Lapidem. Subaudi, Sumam.
 Horatius loquitur, servi liber-
 tatem non ferens.

Quorsum. Cur lapidem pos-
 cis? inquit servus.

Ni

Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.

Opera. Accedes, mittèris no-
 nus ad servos octo, qui faciunt
 opus in villa mea Sabina. Illi
 servi rustici erant deterioris, &
 durioris conditionis, quam ur-
 bani, & catenis constricti ten-
 nebantur in ergastulis, id est,
 locis ubi arabant, egerebant
 lumum, &c.

SATYRA VIII.

Nasidieni cœnam, cui Fundanius amicus suus,
 interfuerat, lepidè describit.

UT Nasidieni iuuit te cœna beati?

Nam mihi quarenti conviviam, dictus heri illic
 De medio potare die. Sic, ut mihi nunquam
 In vita fuerit melius. Da, si grave non est,
 Qua prima iratum ventrem placaverit esca.
 In primis Lucanus aper, leni fuit Austro
 Captus, ut aiebat cœna pater. Acris circum
 Rapua, lactuca, radices: qualia lassum
 Pervellunt stomachum; sifer, halic, facula Coa.

Iuuit. Delectavit. Quomodo
 apud eum, quâ bellè cœnavisti?

Beati. Divitis, lauti.

Quarenti, &c. Cum quære-
 rem hominem, qui mecum
 cœnaret, quem vocarem ad
 cœnam; dictus es heri illic, id
 est, in domo Nasidieni, &c.

De medio die. A meridie:
 vulgò sub vesperam cœnabâ:
 convivia lautiora solito matu-
 rius inchoabant.

Sic, ut. Respondet Funda-
 nius. Sic mihi illâ cœnâ benè

fuit ut, &c.

Da Narrâ.

Leni austro. Nam gravi, &
 vehementius flante, carnes pu-
 trescunt.

Cœna pater. Magister, &
 Rex convivii Nasidienus.

Pervellunt. Provocant ad e-
 dendû, & stimulant nova fame.

Sifer. Genus leguminis.

Halec. Vide Sat. 2. erat fax
 muricæ cuiusdam.

Facula Coa. Fœx delicatior
 vini Græci ex Iusula Co: seu
 con-

*His ubi sublatis, puer altè cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam pertersit, & aliter
Sublegit quocumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnantes offendere: ut Attica virgo
Cum sacris Cereris, procedit fuscus Hydaspes
Cacuba vina ferens, Alcon, Chium maris expertus.
Hic herus, Albanum, Mecœnas, sive Falernum
Te magis appositis delectat, habemus utrumque.
Divitias miserat. Sed quis cœnantibus unâ
Fundani, pulchrè fuerit tibi, nôsse laboro.
Summus ego, & prope me Viscus Thurinus, & infra,
Si memini, Varius: cum Servilio Balathrone*

condimentum ex ea factum.

Sublatis. E mensa, ut novis ferculis locus esset.

Puer altè cinctus. Servus vestem habens altius præcinctâ, ut esset expeditior.

Acernam. Ex acere arbore factam. Acernâ mensis primâ, post Citreas, gloriam fuisse testatur Plinius.

Gausape. Panno villosio.

Sublegit. Collegit, abstulit.

Attica virgo. Solebant in sacris Cereris virgines canistra ferre vultu, & gressu ad insignem modestiam composito.

Hydaspes. Servus, itè Alcon.

Chium, &c. Id est, vinum, quod Nasidienus, ut Chium apponebat, licèt nunquam è Græcia fuisset mari advectum, sed in Italia natum: vel maris expertus, id est, aquâ marinâ nõ conditum, & temperatum; ait

enim Plinius, vina Græca sine aqua vix fuisse. Nasidienus ergo Chium purum, ut rem magnam apponebat.

Hic. Tum ita loqui Nasidienus cœpit.

Appositis. Quam Cœcubum, & Chium, quæ tibi modò jussi apponi.

Divitias, &c. Hoc dicit Horatius: at cur miserat? quia vina ista vulgaria erant, neque magnum erat iis abundare.

Summus ego. In primo lecto, ego eram in summa parte, in media Viscus Turius, in infima parte Varius. In tertio lecto Nomentanus, Nasidienus, & Porcius. In secundo, qui mediis trium erat, ac honoratior; in summa parte Balathro, in ima Vibidius, in media, quæ omnium honoratissima, Mecœnas.

*Vibidius, quos Mecœnas adduxerat umbras.
Nomentanus erat super ipsum, Porcius infra,
Ridiculus totas simul absorbere placentas.
Nomentanus ad hoc, qui si quid foret lateret,
Indice monstraret digito. Nam catera turba,
Nos, inquam, cœnamus aves, conchylia, pisces,
Longè dissimilem nota celantia succum
Ut vel continuo patuit, cum passeris, atque
Ingustata mihi porrexerit illa rhombi.
Post hoc me docuit melimela rubere, minorem
Ad Lunam delecta. Quid hoc interfit, ab ipso
Audieris melius. Tum Vibidius Balathroni,
Nos, nisi damnosè bibimus, moriemur inulti:*

Umbras. Umbræ in convivio vocabantur illi, qui non suo nomine privatim erant invitati, sed amicum, aut virum nobilem comitabantur honoris causâ, ut umbra corpus assectatur.

Ridiculus absorbere. In eo ridiculus, & facetus, quòd absorberet uno veluti haustu integras placentas.

Ad hoc. Subauditur vocatus appositus à Nasidieno.

Si quid. Si quod ferculum exquilitius convivas fugeret.

Nos. Minus periti ad istas ciborum delicias cognoscendas, cœnabamur quod occurrebat, pisces, aves, &c. quæ tamen fercula erant omnia saporis exquisiti, & longè à vulgari, & noto disjuncti, ut affirmabat Nomentanus, & ego

tum faciliè agnovi, cum idem ille mihi porrexit illa passeris (est piscis quidam) & rhombi, qualia nunquam antè gustaveram, vel quæ nemo nostrum attingeret: quia istius ferculi bonitatem ignorabamus.

Melimela. Poma quædam mellei saporis.

Rubere. Ruborem induere. *Minorem.* Non plenam, decescentem.

Hoc. Nempe quòd colligantur cum minor est luna. Quid hoc ad ruborem illi conciliandum conferat; hoc tibi melius quam ego explicabit.

Vibidius. Subaudi dixit.

Damnose. Cum damno Nasidieni largè.

Moriemur inulti. Inultum mori, est ulitata locutio Latini, significans aliud nihil quam

Et calices possunt majores. Vertere pallor
 Tum parochi faciem, nil sic metuentis, ut acres
 Potores: vel quod maledicunt liberius, vel
 Feruida quod subtile exurdant vina palatum.
 Invertunt Aliphanis vinaria tota
 Vibidius, Balathroque, securis omnibus imis.
 Conviva lecti nihilum nocuere lagenis.
 Affertur squillas inter murana natantes
 In patina porrecta. Sub hoc hirsus, hac gravida, inquit,
 Capta est, deterior post partum carne futura:
 His mistum jus est oleo, quod prima Venafri

quàm, miserimum esse, quia
 putabant eos esse miseros, qui
 inulti morentur. Pelsimè no-
 biscum hinc agetur, nihil sapi-
 mus, niquit Vibidius, nisi affa-
 tum bibimus.

Parochi. Nasidienus pallere
 cepit. Proprie parochi dice-
 bantur, qui hominibus aliquò
 publice missis, ligna, sale,
 &c. præbebant. Vide Sat. 5 l. 1.

Exurdant. Surdum faciunt,
 id est, heberant, obtundunt-
 que, ne ciborum saporem sen-
 tiant, per translationem ab au-
 rium sensu ad gustum.

Invertunt. Exhauriunt vi-
 naria poculis Aliphanis, ficti-
 libus cyathis, factis in oppido
 Sannii Alipha, quod est inter
 Venafrum, & Beneventum.
 Vinarium est vas majus, œno-
 phorum appellant. Porro Am-
 phoræ cum erant vacuæ inver-
 tebantur, id est, ore in terram

verso itauebantur.

Imis. Convivis in imo lecto
 accumbentibus Nomentano,
 Porcio.

Lecti. Honoratior, Mece-
 nas, Varius, Viscus.

Natantes. In juscule. Squil-
 læ sunt pisciculi è cancrorum
 genere.

His, &c. Jus illud, in quo
 videtur natantes squillas, his
 rebus mixtum, & confectum
 est: Primò ex oleo, quod cella,
 seu apotheca Venafri optima
 pressum, seu expressum ex oli-
 vis condidit: deinde garo con-
 fectum ex intestinis, & succo pis-
 cium Hispanicorum (nempe
 scombrorù, qui frequentes ca-
 piuntur ad novam Carthagi-
 nem) tum vino nato citra ma-
 re, in Italia videlicet, quod
 juri inditum est dum coquere-
 tur, nam postquam est remo-
 tum ab igne, & coctum, illi

Presit cella garo de succis piscis Iberi,
 Vino quinquenni, verum circa mare nato,
 Dum coquitur; cocto Chium sic convenit, ut non
 Hoc magis ullum aliud, pipere albo, non sine aceto,
 Quod Methymnaam vitio mutaverat uomam.
 Erucas virides, inulas ego primus amaras
 Monstravi incoquere: illutos Curtillus echinos,
 Ut melius muria, quam testa marina remittit.
 Interea suspensa graves aulea ruinas
 In patinam fecere, trahentia pulveris atrii,
 Quantum non Aquilo Campanis excitat agris:
 Nos majus veriti, postquam nihil esse pericli
 Sensimus, erigimur. Rufus posito capite, ut si
 Filius immaturus obisset, flere. Quis esset

affundendum est Chium, quo
 nullum tunc aliud est conve-
 nientius: postremò pipere al-
 bo, & aceto, quod ex vino
 Lesbio vitiatò, & corrupto seu
 acido, natum est. Methymna
 est urbs primaria Lesbi insulæ
 maris Egæi.

Garò. Garum erat condimè-
 ti seu Muria genus quoddam,
 confectum ex intestinis pisci-
 culorum, maximè Scombrorù
 Iberorum, sale maceratis, &
 putrefactis.

Erucas, inulas. Herbarum sunt.
Incoquere. In jure illò co-
 quere.

Illutos. Non lotos. Curtil-
 lus, (aliquis helleus) monstra-
 vit in eodem jure coquere E-
 chinos adhuc in sua muria, &
 liquore, quem testa marina, qua

includuntur, remittit, quem
 continet, natantes, ut melius,
 id est, tanquam hoc sit melius,
 lapidiusque. Illutos, id est, non
 exemptos muria, non deterfa
 salugine, non ablutos aqua
 fluviali.

Echinos. Pisces Echinis ter-
 restribus similes. Epodò Od. 5.

Testa. Vel ipsa pisciculorum
 concha, vel olla in qua mace-
 rantur.

Aulea. Vela, quæ supra mē-
 sam erant suspensa.

Campanis. Campania, Ita-
 liæ pars, ubi Roma.

Majus. Ne lacuna ipsam
 rueret.

Rufus. Nasidieni est cognom-
 en.

Flere. Subaudi, cepit.

Quis esset finis? An ille finis

Finis, ni sapiens sic Nomentanus amicum
 Tolleret: heu fortuna, quis est crudelior in nos
 Te Deus: ut semper gaudes illudere rebus
 Humanis! Varius mappa compefcere risum
 Vix poterat: Balatro suspendens omnia naso,
 Hac est conditio vivendi, ajebat: coque
 Responsura tuo numquam, est par fama labori.
 Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
 Sollicitudine districtum: ne panis adustus,
 Ne male conditum jus apponatur, ut omnes
 Præcincti rectè pueri, comptique ministrent?
 Adde hos præterea casus? aulea ruant si
 Ut modo: si patinam pede lapsus frangat agaso?
 Sed convivatoris, ut ducis, ingenium res
 Adversa nudare solent, celare secunda.
 Nasidienus ad hæc: tibi Di, quacumque preceris,
 Commoda dent: ita vir bonus es, convivaque comis,
 Et soleas poscit. Tum in lecto quoque videres
 Stridere secreta divinos aure susurros.
 Nullos his mallem ludos spectasse: sed illa
 Redde age, qua deinceps vixisti. Vibidius dum
 Querit de pueris, num sit quoque fracta lagenæ,
 Quod sibi poscenti non dentur pocula: dumque

stendi fecisset? flere profectò
 pergeret, nisi, &c.

Tolleret. Erigeret, solatus
 esset.

Suspendens, &c. Omnia in
 risum vertens, risum ex om-
 nibus captans. Lib. I. Sat. 6.

Hac, &c. Sic vivitur, ea le-
 ge, ut nimirum adversa multa
 incidant.

Esque. Ideòque nunquam
 pro merito laudaberis, laudem

tuo labore, ac merito semper
 minorem feret.

Agaso. Servus hebes, ac stu-
 pidus instar agasonis, mulionis.

Convivatoris. Ejus qui con-
 vivas accipit.

Ingenium. Industriã: ea nu-
 datur, id est, promitur in ad-
 versis, later in secundis rebus.

Soleas. Crepidas, ut è lecto
 descenderet.

Lectò quoque. Singulis lectis

Ri

Ridetur fctis rerum Balatrone secundo:
 Nasidienne redis mutata frontis, ut arte
 Emendaturus fortunam. Deinde secuti
 Mazonomo pueri magno discepta ferentes
 Membra gruis, sparsi sale multo, non sine farres;
 Pinguibus & ficis pasum jecur anseris albi,
 Et leporum avulsos, ut multo suavius, arnos,
 Quàm si cum lumbis quis edit. Tum pectore adusto
 Vidimus, & merulas poni, & sine clune palumbes;
 Snares res, si non causas narraret earum, &
 Naturas Dominus: quem nos sic fugimus ubi,
 Ut nihil omninò gustaremus: velut illis
 Canidia afflasset, pejor serpentibus Afris.

Fictis rerum. Rebus fictis, fa-
 bellis, & jocis.

Secundo. Vrgente, adjuvan-
 te, ut in tragædiis: actoribus
 primarum partium subserviūt
 actores, qui secundas ferunt.

Mutata frontis. Fronte mu-
 tata, hilarior.

Fortunam. Fortunam auleæ
 ruinam.

Mazonomo. Patina sic dicta,
 Pasum. Saginatum.

Velut, &c. Quasi si Canidia
 venefica illis cibis afflasset, id
 est, flatu suo, & ore venenum
 præsentissimum addidisset.

